mangna ultimum ſerenitas ſequetur et depulſam caligi-
nem iucundior lux excipiet, iamdudum quotidianâ di-
dicimus experientiâ poſt laborem dulcem venire quietem,
quid igitur eſt quòd acerbiſsima quæque à quibus omnia
gaudia promanare neceſſe eſt, ſubterfugere conemur?
certè apem propter aculeum non odimus, ſed propter
fructus fovemus et tuemur, proinde quis unquam
Agricola auſus eſt ſibi manu plenas ariſtas, cui
necdum laborare, agrum colere, vires laſſare licuit,
promittere? quis unquam Nauta exoptatam metam
ſperare qui infeſtos ventorum turbines, inſurgentes
maris exæſtuantis procellas, illa aſpera naufragij pericula
timere non debuit? quis unquam miles ante pugnam
victoriam, ante victoriam triumphum, ante triumphū
laudem aliquam promeruit? nolite Auditores nimis
maturè ſecundum nobis polliceri favonium, ſinite
prius flores emergere quam fructus decerpatis, lubeat
nobis cum piiſsimo illo Jobo poſt tenebras ſperare
lucem, commendatur ab hoc maximè Antiquitas quòd
nulli ad Herculis valvas arma ſua ſuſpendere et in
agrum ſecedere licuit niſi ſæpe in arena populi mi-
ſericordiam obtinuiſſet, ſed lateat Antiquorum con-